



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Francisci Borgiae Tertij Societatis Iesv Generalis

Ribadeneyra, Pedro de

Mogvntiae, 1603

XX. Pace Cæsaris titulis sese abdicat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45256

runt: alij in FRANCISCO con-
tubernio cum Ioanne filio, hæ-
serunt.

CAPVT XX.

Pace Cæsaris titulis sese abdicat.

NEC diu factum est, cum
Gaspar Villalonus è Ger-
mania redox, Cæsaris litteras
FRANCISCO attulit: qua-
rum hoc exemplum est. Tuas mi-
hi, Dux Borgia, reddidit Gaspar Vil-
lalonus, cliens tuus. Quamuis san-
ctum, piūque id consilium tuum,
vitæq; institutū, quo secedere, ac te
colligere vis, vt terrena celestib. per-
mutes: (quis enim nisi impius id ne-
gauerit?) angit tamen nonnihil nos,
te carendū quod erit. Verum mea i-
pse morem gerere cupiditati, cōmo-
daque mea tuis antepondere, nec volo;
nec, si velim, possum. Potestatem
itaque facio libens, volensque, vt

Ca-

110 DE VITA FRAN. BORG.

Carolo natu maximo, Gandiensi
ditione, tuo arbitrato, cedas. De fa-
cto equidem sic sentio, plures amu-
los, quam imitatores, reperturum
prorum enim, atque proclive cuius
alteri invidere; paria prestare fuit,
eritque semper difficile. Quod cate-
ros liberos deseras, id mihi oneris im-
poni facile patior, iis ut ipse pro viri-
li consulam, & parentis in locum
succedam. Effectum id dabo. cum of-
ficio gratia Leonora matris, fe-
mina lectissima; tum parentis qui
& ipse bene de me, meisque meritis
est. Illis damno non erit, utrumque
parentem operam mihi dedisse. DE-
VS Opt. Max. consilia tua, Dux Bor-
gia, ad exitum felicem adducat; quæ,
ut nos quoque, remque publicam,
difficillimis hisce temporibus respici-
at, precabor. Sic te seruet ille, & so-
spitet. Dat. Augusta Vindeli. orum.
Idib. Feb. Cl. Io. L. I.

His

His lectis gaudio pæne triumphans FRANCISCVS, conclauē statim ingressus ad CHRISTI de Cruce pendēntis imaginem genibus accidit. Domine IESV, inquit, cuius misericordie non est numerus, tot, tantaq; cum existēt tua in me beneficia, nouis tamen cumulare non cessas. Gratiam quam possum habeo, agamque, dum uiuam. Nunc te vocantem sponte sequor; & bonis Fortune omnibus, qua liberali manu donaras, me exuo, te ut cruci affixum, nudumque nudus promptius imiter. Abijcio libens omnia, modica illa quidem; sed & regna, atque imperia, si suppedirent, eadē animi alacritate dimitterem, ut tu probe, qui corda scrutaris & renes, nosti. Supplex igitur rogo, obtestorque, ut prodigum illum filium à longinquis reducem me recipe. & amplectere expansis vlnis misericordie tuae.

tua.

*tua. Pateant mihi fores domus tua
 apud Religiosos vni tibi deditos. V-
 num hoc peto, vt inhabitem in domo
 tua, omnibus diebus vitæ meæ. Tu
 qui lux es, via, veritas, & vita, respi-
 ceme: & qui hanc mihi mentem de-
 disti, da exitum felicem. His cum
 se precibus DEO addixisset, in
 publicum prodijt; confestimq;
 accitis tabellionibus, & actuari-
 is, ditionis se Gandiensis iure,
 bonisque omnibus exuere, &
 Carolo natu maximo transcri-
 bere vniuersa, in acta retulit, su-
 perstitibus præsentibus, nihil vt
 sibi reliquum fecerit. Mox de-
 tonsa barba, vestibus abiectis,
 talarem Sociorum togam, tri-
 tamque induit: lacrymantibus
 famulis, nõ secus atq; si vita dece-
 deret. Ille verò gaudere, vix vt a-
 pud se esse videretur, quod toga
 se publica, Ducisque titulis exu-
 isset*

isset, & quasi maximo è naufragio, & tempestate emerisset, ratus portum se tenere, & in summa Societatis paupertate ditissimum reuera esse: identidem illud exclamans, *Dirupisti, Domine, ^{Ps. 115.} vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Mox seruos amice dimisit; Ioanni Borgiae alios clientum in numero attribuit; alios **Carolo Duci per literas commendatos, misit.**

DE